

Dum hæc in Canada geruntur, na-
 ves Anglicæ, præeuntem Argallum
 secutæ, aliæ procul à Virginia ventorum
 vi abreptæ; aliæ undis haustæ sunt.
 Una, cui Turnellus Anglus præerat, &
 qua Patres Quintinus ac Biardus ve-
 hebantur, continentibus sexdecim die-
 rum procellis vexata, in Azores,
 Lusitanorum ad Africæ littus insulas,
 celerrimè defertur. Hic vero novum
 exoritur periculum. Turnellus pœnam
 metuens, quòd Societatis sacerdotes
 per summam immanitatem domicilio
 avulsos spoliatosque secum traheret, in-
 dignisque habuisset modis, de illorum
 nece agitare consilia cœpit. Satius
 denique illi visum ad eorum clement-
 iam & humanitatem, quam in gravis-
 simis injuriis perspexerat, confugere.
 Operam tamen dedit, ne intraret port-